

DE
GENTIBUS ATTICIS
EARUMQUE CUM TRIBUBUS NEXU
DISSERTATIO
EX HISTORIA JURIS GRAECI REPETITA.

QUAM

JURIS PROFESSORIS PUBLICI EXTRAORDINARII MUNUS


IN

ACADEMIA MARBURGENSI

SOLEMNI ORATIONE AUSPICATURUS

SCRIPSIT

D. EDUARDUS PLATNERUS.



MARBURGI,

TYPIS KRIEGERIANIS CIↃIↃCCCXI.

Etsi homines natura ad coniunctionem proclives finxit, varia tamen disciplina subigendus animus multoque cultu vita eorum instruenda est, antequam stabili iungantur vinculo, dissipatique in legum societatem convocentur. Ac duo potissimum sunt, quae eam retardent; haec ut vincantur, res est summi laboris et magnae contentionis. Nam homo res, quae circa eum sunt, suae voluntati obnoxias reddere debet, ne desit, unde vivere, ubi lares colere possit. Omnia autem, quae natura rationis experte producuntur, non facile usibus generis humani se accommodari patiuntur et, cum huic adversaria atque inimica sint, non sine magna molitione pacari possunt. Deinde rationis vis eo usque hominis ingenium provexerit necesse est, ut non effraenata licentia, sed tantummodo se ipsum cohibendo et restringendo liberum se fieri intellexerit. Atque etiamsi ultimum, ut de quo dubitari possit, mittamus, eatenus certe mentis atque prudentiae usus in eo requiritur, ut videat, nonnisi concordia et legibus sui ipsius et bonorum suorum integritatem salvam praestari et stabiliri posse.

Quamdiu haec nondum evenerunt desidereturque, quod homines externa necessitate ad quandam voluntatis consensionem cogat, nullum aliud eos vinculum coniungit, quam quod

etiam animalia consociare videmus, illa, quae genitores et natos intercedit propensio, quae regiminis a natura ipsa instituti imaginem refert. Familiae enim coniunctio atque nexus et pro semine est, ex quo societas civilis enascitur, et hanc ipsam repraesentat. Familia accrescendo et se ipsam propagando gentium (Stämme) origo est, in quibus natu maximus, ut in familia pater, gubernatoris vices sustinere solet. Qua in re ex parte saltem caussa videtur quaerenda, quod in primordiis populorum non pluribus, sed uni summa reipublicae sit commissa. E gentibus tanquam elementis suis civitas formatur, si illae nimirum non amplius sine lege et domicilio vagantes atque peregrinantes civilis vitae tranquillitatem fixasque sedes appetant. Hoc autem fit ipsa natura duce, cum aliter homines nec ingenio, nec moribus excoli possint. Quemadmodum enim animus certa norma informari debet, qua cogitet et agat, ita etiam corpus certum desiderat locum ad vires suas exercendas et excolendas.

Non facile evenire solet, ut civitas tantummodo ex una gente originem trahat, sed plerumque plures deprehenduntur, eaeque natura et ingenio diuersae. Quae enim stirpe et patria ab initio una esset et coniuncta viveret, licet hoc raro accidat, tamen mox in plures discessura esset. Nam aemulatio, invidia et, quae varie hominem movent atque perturbant, cupiditates ad pugnas plerumque sollicitant, ut alia pars alio acta a reliquis facile abalienetur. Deinde quum accrescenti multitudini variae sedes occupandae sint, regionis etiam varia indoles est respicienda, quae homines in diversum vitae genus trahens vires et cupiditates a se invicem diversas evocat alitque et omnem animi habitum variat. Cuius sententiae veritas ipsa historia comprobatur, quae nos edocet, ad regionis diversitatem gentium quoque naturam se adaptasse.

Minus recte factum esse videtur, quod non aeque in liberis civitatibus quam in maioribus praecipue Asiae regnis gentium diversitas ab historicis est indagata atque enucleata. Habuit enim etiam ad illarum conditionem et fata magnum saepius momentum. In Asiae regnis sane magis conspicua cernebatur et difficilius tolli poterat, quoniam et hominum multitudo maior erat, et gentes ipsae omnibus modis nimium a se inuicem distabant, quae etiam pro illarum civitatum natura non facile conciliari poterant. Qua de caussa inter Persicas gentes discrimen nunquam deletum est. De Atticae gentibus etiamsi nihil singulatim memoriae proditum esset, ideoque nihil certi sciremus, tamen eas et quidem diversas extitisse ex eo facile colligeretur, quod summum studium, quo plures reges incolas Atticae in unum populum congregare adnisi sunt, omni paene effectu caruit. Hoc enim tantum Theseum perfecisse, satis constat, quanquam, ut Thucydides lib. II. cap. XVI et XVII narrat, consociata in unam civitatem multitudine, magna pars hominum in antiquas sedes ex urbe discesserit. Magnae diuturnaeque contentiones praecesserant, cum tandem arctior necessitudo rerumque gerendarum communio ad ingenia et mores viam cultui muniit, qui homines conciliando atque animorum feritatem emolliendo profecit ad sedanda illa Atticorum dissidia. Haec nimia discordia et animorum abalienatio non meras factiones redolet, quae ex opinionum atque studii diversitate proveniunt, sed ex altiori origine, quae ipsam naturam habet caussam, repetenda videtur. Facili negotio rei ratio explicari poterit, si *gentes* illarum contentionum auctores fuisse sumamus. Quod si gentium diversitati paulo plus tribuamus et historiae vestigia acrius sequamur, hoc inde ad Atticae antiquitatis illustrationem commodi accedet, ut quae disiecta atque divulsa existimabantur, ex una radice enasci videamus et quae

de factionibus, tribubus, classibus civium seorsim tradita sunt neque ullo nexu cohaerebant, apto vinculo colligemus. Quo efficietur, ut quae temere ad regum arbitrium referebantur, naturae ipsi vindicentur.

In Attica duo potissimum erant, quae gentium diversitatem efficiebant et alebant. Terra prope mari sita advenis patebat, quotquot et cuiuscunque generis essent, si qui adpellere et ibi sedes ponere vellent. Inde maxime nata originis varietas, quae non est sine morum et ingenii diversitate, gentes seiungebat et in iis perdurabat. Qui et quibus e populis prognati fuerint Atticae primi incolae, ex historia longius repetere hic neque opportunum est, neque quisquam ob temporum tenebras et documentorum inopiam certo affirmare poterit. Hoc tantum afferre iuvat, quod ex Africa et Asia [1]) populi haud dubie ad has Graeciae oras delati fuerint et indigenis immisti vixerint. Tres potissimum gentes sunt, quae Atticam praecipue occupasse videntur, Pelasgi, Aegyptii, qui Cecrope duce in hanc terram deducti sunt, et Hellenes. Pelasgi [2]) quos ex his antiquissimos fuisse omnium historicorum et veterum et recentiorum consensu probatum est, ab Hellenibus suis sedibus pulsi dicuntut, licet hoc in Attica non aeque quam in aliis regionibus factum fuerit. Quum Thucydides narret [3]), Atticam ab iisdem sem-

1) Conferatur Heerenius historicus princeps, quem ad historiae studia animum accendisse meum, in maxima felicitate pono, in der Geschichte der Staaten des Alterthums p. 151. Zwey Hauptstämme der Griechen, Pelasger und Hellenen. Beide stammten wahrscheinlich aus Asien.

2) Cf. Thucyd. lib. IV. cap. 109.

3) Thucyd. lib. I. cap. 2. τὴν γὖν Ἀττικὴν ἐκ τȣ̃ ἐπιπλεῖστον διὰ τὸ λεπτόγεων ἀστασίαστον ȣ̃σαν ἄνθρωποι ᾤκȣν οἱ αὐτοὶ ἀεί· καὶ παράδειγμα τόδε τȣ̃ λόγȣ ȣ̓κ ἐλάχιστον ἐστι διὰ τὰς μετοικίας ἐς τὰ ἄλλα μὴ ὁμοίως αὐξηθῆναι· ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος οἱ πολέμῳ ἢ στάσει ἐκπίπτοντες, παρ᾽ Ἀθηναίȣς οἱ δυνατώτατοι, ὡς βέβαιον ὄν, ἀνεχώρȣν. Vid. et. Heeren. in d. Gesch. d. a. W. p. 172.

per hominibus esse habitatam, Pelasgos iuxta Hellenes vixisse probabile est. Hi non ante [1]) Xuthi tempora, qui Deucalionis nepos Erechthei regis filiam uxorem duxisse et Atticae tetrapolin condidisse fertur, in Atticam concessisse putantur. Vid. Strabo lib. VIII. cap. VII. §. 1. p. 288. ed. Tzsch. At valde dubito an minime aetas, qua Hellenes in Atticam migraverint, certis argumentis erui possit, quin contendo, ne hanc quidem sententiam iniuria defendi, quae statuat, partem populi, qui deinde Hellenes dicebantur, iam Cecropis tempore in Atticam concessisse. Xuthus ipse non facile in eam terram aufugisset, nisi generis sui homines ibi se reperturum praescivisset. De Heraclidis et aliis [2]), qui seriori tempore se in Atticam contulerint, taceo, haec longius persequi ab hoc loco alienum esse ratus.

Diversi illi advenae quam Atticae partem incoluerint, in clara quidem luce collocari non poterit; id autem ex historia cognitum habemus, diversarum regionum habitatores in diversas partes abiisse. Quum, quod et iam disputatis probatur, et ex sequentibus clarius apparebit, diversae gentes antiquitus in Attica extiterint et historia teste Attici variis bellis se invicem adgressi fuerint, verisimile est, factiones illas, quae diversarum regionum habitatores intercesserint, ad gentes pertinuisse. Plutarchus, qui de his Atticorum dissidiis ante alios verba fa-

1) Cf. Ill. Beckius in d. allgem. Weltgesch. p. 210.

2) Phoenicum quoque, quibus Codrus Boeotiam occupavit, aliqua pars in Attica sedes posuisse videtur, cum Herodoto teste lib. V. cap. 57 Harmodius et Aristogiton inde genus ducant. E Strabonis libro nono scimus, Boeotos cum Atticis saepius bello conflixisse eorumque fines infestasse. Facile itaque evenire poterat, ut vicinia, quae bellum et eo mutuam inter populos notitiam effecerat, aliquos ex Boeotis ad sedes mutandas et in Atticam transferendas invitaret. Argumentum rei afferatur, quod inter illos Atticae demos unus nomine Boeoticus inveniatur. vid. Cors. Fast. Attic. Tom. II. Diss. 5.

cit, tempus quidem, quo orta sint, non certius edidit, attamen Solonis aetate revixisse ait, ex quo patet, ea iam ante illum rempublicam turbasse. Cum Plutarcho auctore factiones pro regionum diversitate extiterint, haec autem semper et a primis temporibus eadem fuerit, illas quoque cum populo natas esse, facile quisque sibi persuadeat. Haec etiam Palmerii sententia est, qui in exercitationibus ad Herodotum, quomodo illae partes multitudine in unam urbem consociata perdurare potuerint, non sine ingenii subtilitate demonstrat.

Partes, quas Herodotus et Plutarchus *) enumerant, Diacrii (quos Herodotus Hyperacrios appellat), Parali et Pediei sunt (a Suida πεδιάσιοι dicti) qui nullo tempore discordiam et pugnas intermisisse dicuntur. Videntur autem quasi stamina Atheniensis populi fuisse, ita ut qui recentes ad Atticam accederent, uni eorum parti se addicere cogerentur, licet hoc magis coniectura assequi quam argumentis demonstrare possimus.

Soli diversitas etsi hunc Atticorum discessum non effecit, tamen aluit et alterum illud est, quod dixi maxime in iudicium venire in recensendis caussis, cur tam longo tempore Atticae gentes in unum populum cogi non potuerint. Atticae regionis, ex qua illae partes nomen accepere, triplex maxime natura erat, alia potissimum montibus abundabat, alia in medio posita fertilis erat (ea πεδίκα seu πεδιακὰ, vt Kuesterus ex Harpocratione legendum censet, vocabatur et Pedieis nomen indidit; Suidas eam fructuosam et ovium pascuis aptam fuisse narrat, conf. Alberti ad Hesychium s. v. πεδιακά), alia denique maxime saxosa mari adiacebat. Qui montes tenebant, Diacrii appellabantur et haud dubie originis antiquitate ceteros antecedebant, cum historia teste primi terrae cuiusque incolae montibus con-

*) In vita Solon. cap. 13 et 29 et in Pisistrat. Quae deinde de his partibus a me afferentur, ea in his Plutarchi locis leguntur.

sidere soleant, ut corpus et bona in tutelam naturae committant et ab iniuria hominum et animalium caveant. Itaque probabile est, Diacrios origine sua Pelasgos fuisse, quos antiquissimos e gentibus Atticis diximus. Palmerius in exercitationibus ad Herodotum p. 3 et seqq. non a montibus, sed inde quod ὕπερ ἄκραν h. e. Sunium habitaverint, Diacrios nomen duxisse contendit. Laudat ibidem Hesychium, qui in verbo διακρεῖς dicit, Diacriam eum terrae tractum fuisse, qui inter Brauronem et montem Parnetem interiaceat. Deinde provocat ad scholiastam Aristophanis ad Vespas v. 1218 [1]), qui narrat [2]), Pandionem in regno dividendo Diacriam Lyco, Aegeo regionem circa urbem, Pallanti Paraliam, et Niso Megaridem concessisse [3]). Ex his sane apparet, Diacriam regionem certam fuisse, minime autem eos tantummodo Diacriorum nomine fuisse insignitos, qui Diacriam incoluerint. Etenim si aeque ii, qui locum Diacriam (nam etiam talis locus, si Hesychio fidem habes, extitit) ac qui regionem Diacriam tenebant, Diacrii vocabantur, fieri etiam potuit, ut Diacriorum nomen, quod fortasse sequenti tempore strictius dictum est, ab initio ad montium incolas quoscunque pertineret. Deinde ipsa regio Diacria quoniam montibus [4]) abundabat, hoc nomine insignita videtur, ideoque non temere contenditur, Diacrios propter montes ita appellari.

Terminos regionis, in qua Parali et Pediei habitaverint, certius definire, quam uti factum est, in hac summa temporum

1) Conf. Scholiast. Eurip. ad Hippol. v. 35. qui Aegeum et Pallantem tantummodo aliquibus imperasse demis dicit τῆς Αττικῆς ὄπω συνῳκισμένης εἰς ἕν. Strabo lib. IX. cap. 1. §. 6. p. 340.

2) Conf. Suidas s. v. παράλων.

3) Megaridem Heraclidae seriori tempore occuparunt. vid. Strab. lib. IX. cap. 1. pag. 343 et seqq.

4) Cf. Gronov. not. ad Herodot. p. 64 edit. Wess. et Albert. ad Hesych. s. v. διακρεῖς.

antiquitate nemo facile poterit. Quum Atticae oram, quae a Sunio usque ad Isthmum extenditur, antiquissimis temporibus Joniae nomen habuisse sciamus (vid. Allgem. Weltgesch. Tom. VII. p. 530 edit. Heyn.) facile quis dicere possit, si coniectare liceat, hunc terrae tractum Paraliam fuisse et Paralos Jonum gentem intelligi debere. Nomen Jonum seriori quam Cecropis tempore invectum fuisse, satis ex historia constat, ideoque sponte patet, qui hac aetate Paraliam incoluerint, non fuisse Jones dictos; sed quaeri potest, an Cecrope vivente in hac regione gens extiterit, quae communem cum Jonibus originem habuerit. Diacrii, ad quos redeo, in feritate sua diutissime perstiterunt, quod nemo mirabitur, cum rei ratio historia comprobante edoceat, montium incolas et insigni libertatis sensu imbutos esse et omni sua vita a morum atque humanitatis cultu et notitia earum rerum, quas elegantia et luxus afferat et foveat, alienos teneri. Itaque Diacrii quoque, Plutarcho teste, lautioris vitae instrumentis caruerunt et omni Atticorum multitudine in unam civitatem conflata vices plebis sustinuerunt. Plutarchus Diacrios ultimam et pauperrimam civium classem fuisse ait, ἐν οἷς, ut dicit in Solone pag. 376 edit. Reisk. ὁ θητικὸς ὄχλος. Ditiorum (h. e. Pedieorum, nam hi soli agros possedisse videntur) agros colere debebant sextam proventuum partem *) solventes vel aere alieno ita iis obstricti erant, ut corpore

*) „ἕκτα τῶν γινομένων τελοῦντες, ἑκτημόριοι." Si quinque frugum partibus retentis sextam tantummodo solverunt, eorum conditio haud immitis fuisse et Plutarchus parum apto documento sententiam probare videtur, qui quantis miseriis oppressi fuerint, describere in animo habet. Itaque quis verbum expectaverit, quo contrarium potius significetur, eos scilicet quinque partes reddidisse, sextam sibi servasse, id quod ab Hesychio comprobari videtur, qui verbum ἑκτημόριοι explicat: οἱ ἕκτῳ μέρει τὴν γῆν γεωργοῦντες. Verum, quo minus textum solicitarem, prohibuit me Celeb. Schaeferus, vir ingenio et doctrina aeque ac humanitate insignis, qui loci difficultatem ita expediebat, ut hos homines omnia quoque in-

mancipato vivere et liberos adeo vendere cogerentur. Quae indigentia et dura servitus Diacrios potentioribus infensos reddidit et perpetuas inter eos rixas suscitavit, quippe quod illi pro morum et vitae indole populare regimen amabant et vi armisque tuebantur. Pediei qui praediorum possessores fertilissimam Atticae partem tenebant, opulentia praevalebant et haud dubie generis quoque nobilitate ceteros antecedebant. Constat enim in originibus populorum, ubi virtute et fortitudine bona comparantur et fortuna plerumque meritis respondet, divitias cum generis praestantia coniunctas conspici. Itaque natalibus quoque Pedieorum convenit, quod aristocraticum regnum foverunt et adfectaverunt.

Parali, quos regionis, quam incolebant, situs ad navigationem et mercatum instituebat et aptos faciebat, haud dubie, cum Attici in unum populum coibant, cives vere tales erant, qui quidem medii sunt inter plebem ac nobilitatem. Cui conditioni eorum quoque sentiendi ratio cóngrua est; nam si vera Plutarchus affert, nec aristocraticum nec democraticum, sed intermedium quoddam imperium appetierunt. Ex his colligi potest, etiam Theseum, qui in *ἐυπατρίδας*, *δημιȣργȣ́ς* et *γεωμόρȣς* populum divisisse dicitur, ad regionum et gentium diversitatem respexisse, et civium classes iam a natura constitutas sanxisse potius, quam instituisse. Quae a Polluce et Hesychio confirmantur. Ille enim lib. VIII. cap. IX. segm. 111 tres gentes *) (*ἔθνη*) antiquitus extitisse ait, quas eodem nomine recenset, quo civium classes, quae a Theseo profectae dicuntur, innotuerunt. Hic in voce *ἀγροιῶται* varia *γένη* in Attica obvia enumerat

strumenta ad agros colendos necessaria et quidquid opus esset in re rustica, comparare debuisse sumeret. Simul etiam ad alium Hesychii locum me ablegavit, s. v. *ἐπίμορτος*, ubi *ἑκτήμοροι οἱ τὸ ἕκτον τελȣ̃ντες* dicuntur.

*) Conf. notae ad hunc Pollucis locum.

et dicit, ἀγροίκους ab εὐπατρίδαις discessisse. (Idem conf. s. v. δημιουργός et εὐπατρίδαι vid. Albert. ad h. v. Diod. Sic. lib. I. cap. 28, ubi Aegyptii cum Atheniensibus comparantur, et Wess. ad h. l.) Quomodo illae partes ad Thesei institutum se habuerint, facile ad explicandum est; εὐπατρίδαις enim Pediei, δημιουργοῖς Parali, et γεωμόροις Diacrii potissimum sunt comprehensi. Hoc loco ea quoque adferri debent, quae in Platonis Critia *) p. 42 et 46 edit. Bipont. leguntur. Licet enim hic de antiquissimis temporibus, quae omnem paene historiam praecedant, sermo sit, tamen memoratu dignum est, quomodo illius aevi conditionem Plato descripserit. Etenim probabile est, quae Plato profert, etiamsi non omni modo vera sint et ad tempora referantur, quae non re, sed solo ingenii lusu extiterint, tamen ad veritatem formata et ex ipso civitatis statu depromta esse. Narrat antiquitus gentes extitisse, quae opificia et agriculturam tractaverint, militare autem genus, quod custodum partes egerit, a ceteris separatum in summis montium prope Minervae et Vulcani templa habitasse. A quibus deinde sacerdotum classem distinctam recenset. Gentes ultimo loco nominatas nobilitatem effecisse sponte patet, ideoque Theseus duas illas εὐπατρίδαις comprehendisse videtur.

Ad hanc gentium et locorum diversitatem tribuum distinctio revocanda et diiudicanda videtur, quippe quod illa maximam certe partem contineatur. Quotquot antiquitatis indagatores extiterunt valde errare videntur, quod populi Attici in tribus distributionem nihil nisi regis alicuius inventum putent, eamque, quam rerum necessitas induxit, ex arbitrio eius pependisse opinentur. Verbum ipsum φυλή et partium, in quas tribus distributae erant, nomina φρατρία et γένη non hominis

*) Cum hoc Platonis loco confrd. Aristoteles Polit. VII. 10. vid. Ignarram de phrat. vett. p. 23.

inventum, sed quidpiam a natura procreatum produnt. De phratriis eiusque verbi significatione consulendus Ignarra capite primo, qui pag. 13 demonstrat, eas ex coitione familiarum maxime congenerum esse natas. Quod quidem egregie in rem meam facit; nam eadem ratio et indoles tribuum, quae phratriarum est, nec nisi hominum multitudine discrepant. Si itaque phratria est ad legem instituta et ordinata familiarum eiusdem generis consociatio, idem etiam de tribubus dicendum est, quae *omnes* eiusdem stirpis familias h. e. gentem complectebantur.

In universum hic monendum esse videtur, instituta, quae in origine civitatum obtinuisse accipimus, pleraque rerum statu magis effecta, quam ad legem aliquam, non a caussa externa, sed a sola voluntate profectam, composita et exacta fuisse. Hoc ut recte fieri possit, iam ordinata civitas requiritur, quae legum, quibus solis ad humanitatem adsuefieri possumus, observantiam didicerit. Quae si vera sunt, quam maxime in tribus quadrant, quas antiquissimis temporibus et quidem Cecrope regnante iam institutas esse, memoriae traditum est; qua aetate Attici morum et artium rudes magis ad naturae instinctum et consuetudinem, quam ad imperantis iussa se suasque actiones componebant, quippe nondum in unam civitatem consociati. Quum enim e Thucydide sciamus, diversos Atticae incolas etiam post Cecropem magistratus suos et curias proprias habuisse et per se quosque suam rempublicam administrasse, non facile rerum status tulisse videtur, ut Cecrops pro arbitrio tribus constitueret. Illa itaque in tribus distinctio rerum necessitate invecta tantum abest, ut a regibus sit instituta et promota, ut eos a congreganda in unum corpus multitudine prohibuisse videatur.

Ad haec facile quis obiiciat, illud ipsum, quod Attici per oppida habitantes suum sibi regimen constitutum habuerint, pro argumento esse, nullas in ea gentes extitisse, quae communi

rectori se suasque res committere soleant, ideoque tribus ad eas pertinere non potuisse; sententiae veritatem eo confirmari, quod multi iique varii in Attica demi reperiantur, quorum condendorum occasionem praebuisse advenientium catervas alias super alias accedentes; hic in argumentum trahenda esse, quae a me ipso de demo Boeotico dicta sint. Ad haec responderi debent, illam demorum varietatem non impedire, quo minus ipsi aliquo vinculo iuncti fuerint; cum enim tribus, quibus certus demorum numerus continebatur, non extiterint sine gubernatoribus (qui primis temporibus φυλοβασιλεῖς dicebantur), non potuit fieri, quin his demi quoque adstricti essent atque subiecti. Deinde quod maxime hic attendi debet, de antiquissimis temporibus, de Cecropis aetate, sermo est, qua procul dubio nec tam multi variique extiterunt demi, nec hac regiminis ratione instructi. Denique non nego, variorum hominum in Atticam ingressione gentium ordinem turbatum atque temperatum fuisse; illud tantummodo dico, in Attica primigenias stirpes extitisse, quae ceterorum incolarum capita et quasi initia populi Atheniensis fuerint, atque tribus maximam certe partem constituerint. Ipsae enim nomine suo plerumque illam a me supra explicitam regionis atque gentium et, quae inde profectae sunt, partium diversitatem exprimunt.

Nunc singula, ut ab historicis tradita sunt, recensurus tribuum nomina, praemittam locum Corsini in Fast. Attic. Tom. I. Dissert. 3. §. 4. in quo legitur, Plutarchum in Solone Diacrios, Pedieos, Paralos enumerantem tribuum seriem quodammodo expressisse. Ex quo patet, iam Corsinum quondam tribuum cum illis partibus coniunctionem suspicatum fuisse.

Pollux lib. VIII. cap. 9 segment. 109. 110 regnante Cecrope quatuor tribus extitisse ait, κεκροπίδα, αὐτόχθονα, ακταίαν et παραλίαν. Cum Actaea et Paralia idem fere significent,

Actaea *) fortasse Diacriam, κεκροπὶς et αὐτόχθων eam potissimum regionis partem comprehendebant, quae alias πεδιακὰ nominatur. De Paralia dicere non opus videtur, cum sponte pateat eam ad Paralos spectasse. Codex Falckenburgianus, quod attendi debet, αὐτόχθονα et κεκροπίδα coniungit, καὶ interponendo, quo innui videtur, has duas tribus quodammodo unam effecisse. Cranao imperante Κραναὶς, ἀτθὶς, μεσογαία, διακρὶς tribus sunt vocatae, quae quomodo ad gentium diversitatem se habuerint, cum non certo demonstrari possit, mihique a coniecturis et mutationibus abstinendum esse censeam, monuisse sufficiat διακρίδα et μεσογαίαν, quae idem quam πεδιακὰ denotare videtur, Diacriis et Pedieis respondere. Post Erechthonium, ut Pollux tradit, tribus sunt appellatae διὰς, ἀθηναὶς, ποσειδωνιὰς, ἡφαιστιάς. Quae ratio inter has tribus et quas saepius commemoravi gentes intercesserit, facile explicatu est, licet etiam hic ineptum videatur aliquid pro certo ponere. Διάδα et αθηναΐδα fortasse Pedieis assignaveris, qui ob generis nobilitatem et habitationis indolem potissimum Jovis et Minervae sacra celebrasse videntur. Παραλία ideo nomine mutata est in Ποσειδωνιάδα, quoniam mari vicina Neptuni Oceanum regentis tutela opus habebat. Haec etiam ab ipsis incolis huius terrae, Paralis, expetenda erat, quippe quos navigationi operam dedisse probabile est. Ἡφαιστιὰς ad Diacrios pertinebat; Vulcano enim, qui Plinio teste Hist. nat. VII. 57 primus Atheniensibus argentum exhibuit, montes sacri erant, qui omnis generis metalla in se reclusa habentes, praebebant, quae arti fabrili necessaria erant. Quae inter alias caussa esse videtur, cur Mythologia Vulcani officinae montem assignaverit. Ex mascula Jonis prole **), ad quam

*) Attica ipsa Acte et Actaea olim vocabatur, vid. Strab. lib. IX. cap. 1. §. 3. p. 334 et d'Anvill. p. 314.

**) ἀπὸ δὲ τῶν Ἴωνος παίδων ἐπὶ Ἐρεχθονίκ. Kuehnius legit Ἐρεχθέως, quum autem



Pollux pergit, tribus γελέοντες [1]) seu τελέοντες, ὅπλητες, αἰγικορεῖς, ἀργάδεις nominatae dicuntur. Conf. Herod. lib. V. cap. 66. qui non alio nisi hoc nomine tribus commemorat. Harum tribuum rationem Plutarchus et Strabo aliam tradunt. Plutarchus in Solone cap. 23. pag. 262 et 263 contendit, non ex Jonis prole, sed vitae generibus, quae in originibus populorum obtineant, tribus esse vocatas ὁπλίτας, ἐργάδεις, γεωργὺς, αἰγικορεῖς. Strabo lib. VIII. cap. 7. §. 1. p. 289 narrat, Jonem in quatuor vitae genera et tum in quatuor tribus multitudinem divisisse, in γεωργὺς, δημιυργὺς, ἱεροποιὺς et φύλακας. Plutarchus eatenus Strabone melius dicere videtur, quatenus probabilius est, tribuum distinctionem ex vitae generibus nomen traxisse, quam vice versa. Quomodo enim fieri potuit, ut rex, qualis Atticorum primis temporibus extiterit, qui non plus potestatis in cives haberet, quam quantum ei ab ipsis concessum esset, pro lubitu vitae genera constitueret. Haec si varia fuerunt, et Plutarcho teste tribuum distinctionem effecerunt, non leve inde argumentum duci potest pro gentium diversitate. Strabo, qui gentes a Platone descriptas expressit, nomina ipsa rectius attulit, quae facili negotio ad gentium diversitatem exigi possunt. Ἱεροποιοὶ (sacerdotes) et φύλακες (custodes, milites) a Plutarcho ὁπλίται dicti (vid. Platonis locum supra laudatum) Pedieos [2]) εὐπατρίδας h. e. nobilitatem efficiebant, ad quam religionis cultum et rei militaris curam potissimum spectasse ex historia scimus. Quod ratione Atheniensium eo maiori veritatis specie contendi potest, quo magis eorum res publica Aegyptiorum civitatem [3]), ad cuius

hoc verbum otiosum sit et paulo ante ἐπὶ Ἐρεχθείυ legatur, tanquam interpolatum videtur delendum esse.

1) Conf. not. ad h. l. p. 931.

2) In memoriam revocentur, quae attuli in instituto Thesei recensendo.

3) Vid. Wessel. ad Petit. p. 201.

exemplum multis in rebus formata fuit, primis temporibus expressisse videatur. Apud hos autem tantummodo nobilissimas gentes sacerdotum et militum partes egisse, facile demonstrare possem, nisi ab hoc loco alienum esset. In subsidium affero Thesei legem a Plutarcho descriptam, quae ita se habet [1]: εὐπατρίδας γιγνώσκειν τὰ θεῖα καὶ ὁσίων καὶ ἱερῶν ἐξηγητὰς εἶναι. De γεωργοῖς et δημιουργοῖς, quos in recensendo Thesei instituto Diacriis et Paralis respondere dixi, quae iam allata sunt, hic repetere otiosum esset, itaque ad illa lectores remitto.

Quum iam satis mihi demonstrasse videar, tribuum distinctionem gentium et locorum diversitati innixam fuisse, addere iuvat, quod ad hanc ex parte saltem referatur civium in quatuor classes distributio, quas pro rei familiaris modo Solon instituisse fertur. Earum ultima θῆτες appellabatur, quo nomine a Plutarcho Diacrii commemorantur, quos et ἑκτημορίους vocat. Εὐπατρίδαι haud dubie classi πεντακοσιομεδίμνων accensebantur. Documento sit, quod archontes, quos ex εὐπατρίδαις sumtos fuisse constat, ante Aristidis tempora ex πεντακοσιομεδίμνοις eligebantur. Vid. Plutarch. in Aristid. p. 479 Dodwell. Annal. Thucyd. p. 622 ed. Beck. Petit p. 323. Memorabilis locus, qui hic non praetermittendus videtur, in Scholiasta ad Vespas Aristophanis v. 1218 extat, qui ita se habet: κατὰ τοὺς Σόλωνος νόμους τρεῖς ἦσαν αἱ τάξεις, πάραλοι, πεδιεῖς, διάκριοι. Haec scholiastae sententia quomodo historicorum dictis conciliari possit, qui Solonem illas factiones compescuisse ferunt, non video, nisi sumamus, eum plane inepta atque falsa dixisse, aut censum a Solone institutum in animo habuisse, et quodammodo exprimere voluisse. Quemadmodum enim Diacrii θῆτες a Plutarcho nominantur, ita etiam fieri posset, ut Pediei interdum pro πεντακοσιομεδίμνοις ponerentur.

1) Vid. Petit. p. 201.

Dum quatuor tantummodo tribubus omnis multitudo comprehendebatur, non facile partium discordia extingui poterat, ipsa tribuum distinctione, quae illis paene numero aequales erant, magis nutrita quam repressa. Itaque Clisthenes tandem quatuor tribus in decem mutando, illa factionum dissidia exstirpasse videtur. Scholiasta enim a Wesselingio ad Herodotum lib. V. cap. 66 laudatus affert, Clisthenem tribus ideo novasse et auxisse, ne una super ceteras se efferret. Quae ratio non leve argumentum videtur pro gentium diversitate apud Atticos obvia, quae eo potissimum deleta fuit, quod Clisthenes Aristotele teste lib. III. Polit. cap. 2 peregrinos, servos, et inquilinos (μετοίκȣς) in tribus receperit.

Hoc itaque modo sensim paulatimque gentium distinctio et discordia, quae maximam partem in tribubus residebat, evanuit, ita ut illae magis instituto civili, quam rei a natura generatae similes apparerent. Quapropter recte comparari possunt illi, quae in nostris urbibus passim obvia est, civium divisioni nomine der Stadtviertel insignitae. Muellerus, qui in ea, quam de Helvetiis composuit, historia, tribuum distinctionem e re militari provenisse ait, eorum naturam non recte perspexisse videtur, quippe quod origine sua non certo consilio institutae, sed a natura ipsa prognatae ad nullum finem referebantur ac pro se ipsae constabant. In bellis, quae primis temporibus hominum vitam paene totam consumebant, eorum usum praecipue frequentem fuisse non negaverim. Locus a Muellero laudatus (Hom. Il. lib. II. v. 362)

> Κρῖν' ἄνδρας κατὰ φῦλα, κατὰ φρήτρας, Ἀγάμεμνον
> Ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ φύλοις.


in argumentum trahi non potest, eo enim nihil aliud efficitur, quam ut videamus, duces pro leviori et arctiori gentium neces-

situdine aciem instruxisse. De hoc Homeri loco conferatur Salmas. Observ. ad ius Att. et Rom. pag. 126 et seqq. prae ceteris autem Ignarra pag. 39 et seqq.

Sed iam missa hac disputatione accedendum est ad id, cuius caussa haec scripta sunt. Nam cum gratia et indulgentia *Potentissimi Regis Westphaliae* munus Professoris in hac literarum Universitate Publici Extraordinarii nuper in me delatum sit, equidem reticere nolui, quo numero id beneficii habeam, et qua animi castitate exoptem, ut quidquid literarum tam augustis auspiciis colatur, maiora in dies incrementa capiat, utque rerum nostrarum splendidissimi praesides, Vir Illustrissimus Comes *De Wolffradt*, cuius curae res regni interiores demandatae sunt, et Vir Perillustris Baro *De Leist*, cui universae institutionis publicae commissum est patrocinium, quam diutissime haec gubernacula teneant largissimosque laborum fructus percipiant. Cui quidem pietatis officio tum hac ipsa scriptiuncula satisfaciendum putavi, tum oratione a. d. Mai. habenda, qua *antiqui et hodierni iuris rationes inter se contendere* in animo est. Quam auspicandi muneris solemnitatem ut Magnificus Academiae Prorector, Professores literarum Summe Venerabiles, Illustres, Consultissimi, Experientissimi, Excellentissimi, et Commilitones Praenobilissimi praesentia sua condecorare velint, omni, qua par est, pietate et observantia rogo.

Corrigendum.


P. 3 lin. 15 pro tantum p. tandem.



et dicit, *ἀγροίκους* ab *εὐπατρίδαις* discessisse. (Idem conf. s. v. *δημιουργός* et *εὐπατρίδαι* vid. Albert. ad h. v. Diod. Sic. lib. I. cap. 28, ubi Aegyptii cum Atheniensibus comparantur, et Wess. ad h. l.) Quomodo illae partes ad Thesei institutum se ha-
buerint, facile ad explicandum
δημιουργοῖς Parali, et *γεωμόροις* Diac
hensi. Hoc loco ea quoque ad
Critia *) p. 42 et 46 edit. Bipont.
antiquissimis temporibus, quae o
dant, sermo sit, tamen memorat
aevi conditionem Plato descripserit
Plato profert, etiamsi non omni
referantur, quae non re, sed sol
ad veritatem formata et ex ipso
Narrat antiquitus gentes extitisse,
tractaverint, militare autem genus,
rit, a ceteris separatum in summis
Vulcani templa habitasse. A qu
sem distinctam recenset. Gentes
tatem effecisse sponte patet, ide
τρίδαις comprehendisse videtur.

Ad hanc gentium et locorum
ctio revocanda et diiudicanda vid
mam certe partem contineatur.
tores extiterunt valde errare vi
tribus distributionem nihil nisi r
eamque, quam rerum necessitas
pendisse opinentur. Verbum ipsu
tribus distributae erant, nomina *φρατρία* et *γένη* non hominis

*) Cum hoç Platonis loco confrd. Aristoteles Polit. VII. 10. vid. Ignarram de phrat. vett. p. 23.





inventum, sed quidpiam a natura procreatum produnt. De phratriis eiusque verbi significatione consulendus Ignarra capite primo, qui pag. 13 demonstrat, eas ex coitione familiarum maxime congenerum esse natas. Quod quidem egregie in rem
t indoles tribuum, quae phra-
ultitudine discrepant. Si itaque
t ordinata familiarum eiusdem
e tribubus dicendum est, quae
e. gentem complectebantur.
esse videtur, instituta, quae
cipimus, pleraque rerum statu
quam, non a caussa externa,
omposita et exacta fuisse. Hoc
ta civitas requiritur, quae le-
em adsuefieri possumus, obser-
sunt, quam maxime in tribus
nporibus et quidem Cecrope re-
oriae traditum est; qua aetate
nagis ad naturae instinctum et
ntis iussa se suasque actiones
in unam civitatem consociati.
, diversos Atticae incolas etiam
et curias proprias habuisse et
am administrasse, non facile
ecrops pro arbitrio tribus con-
listinctio rerum necessitate in-
sit instituta et promota, ut eos
nultitudine prohibuisse videatur.

Ad haec facile quis obiiciat, illud ipsum, quod Attici per oppida habitantes suum sibi regimen constitutum habuerint, pro argumento esse, nullas in ea gentes extitisse, quae communi